

8.38.5

*Impp. Diocletianus et Maximianus AA. et CC. Isidoreae.*

Nuda pollicitatione secundum ea, quae saepe constituta sunt, ad praestanda quae promiserat urgueri quemquam non semper iura permittunt.

1 ¶ Verum quoniam praeteres, si contra pactum fecerit, quanti ea res est, tibi dari stipulanti adversarium tuum promisisse proponas, huius etiam obligationis post motam litem extitisse condicionem et eius summae, quae in hac quoque stipulatione continetur, petitioni locum factum convenit.

*S. V k. Dec. AA. consss.*

[a. 293]

8.38.6

*Idem AA. et CC. Eroto.*

Scire debuisti, quae sub transactione dari placita sunt, certi vel incerti stipulatione subsecuta peti posse.

*S. XVI k. Ian. Sima AA. consss.*

[a. 293]

8.38.7

*Idem AA. et CC. Antonino.*

Neque tutoris neque curatoris absentia quicquam stipulationi nocet, cum et feminam minorem viginti quinque annis absente curatore stipulari posse non ambigitur.

*S. XVII k. Febr. CC. consss.*

[a. 294]

8.38.8

*Idem AA et CC. Posidonio.*

Non moritum praestari servum impossibilis promissio est. Post mortem autem eius stipulatus recte solutionem postulat.

*S. XII k. Mart. CC. consss.*

[a. 294]

8.38.9

*Idem AA. et CC. Capitonii.*

Si quidem Zenoni stipulanti mortis vel cruciatus corporis territus timore spopondisti, adversus experientem exceptione proposita defendi potes.

1 ¶ Si vero nihil tale probetur, accusationis institutae vel futurae praetextu non ob turpem, sed probabilem causam habita stipulatione promissio non infirmatur.

2 ¶ Sin autem ob non instituendam accusationem criminis pecunia promissa sit, cum de huiusmodi causis pacisci non liceat, petitio negatur.

*S. III id. Oct. Varianae CC. consss.*

[a. 294]